

admittit *Conringius*, argumento utens, quod metalla fusa  
instar aquæ fluant, quantum autem terræ insit, nemo ho-  
minum, sed solus DEUS nosset. Verum hanc sententiam  
firmo non stare talo quisque videt. Falsum enim est, me-  
talla constare ex cineribus aqua madefactis; Nam experi-  
entia domestica docet, quod cineres lixivio inde parato  
abeant quidem in corpus consistens, propter mutuam par-  
tium connexionem, & grave, propter pororum angusti-  
am, & firmam partium ad partes positionem, sed tamen  
admodum friabile, ita ut facile digitis comminui possit,  
quod etiam facili negotio fit & perficitur in glebis terræ;  
Jam autem metalla tanta duritie gaudent, ut non levis re-  
quiratur vis in illis comminuendis. Alii putabant Plane-  
tas causam productionis metallorum esse, qui sc. certa ef-  
fluvia in gremium terræ emitterent, quæ sese insinuantia  
in terram, illam ita disponerent, ut larva hac rejecta assu-  
meret metallicam. Vel pro causa agnoscunt conjuncti-  
onem Planetarum, uti ex *Vielheuers Beschreibung der  
Mineralien* 2c. pag. 3. elucescit. Sic Sol Planetarum Rex  
suis effluentiis produceret Aurum; Luna ceu alterum lu-  
minare magnum, Argentum; Mars Ferrum, & sic porro.  
Verum hæc anilia sunt, neque cum ratione neque cum ex-  
perientia conveniunt. Cum enim jam confecta res sit,  
quod Planetæ sint corpora opaca, solida, nostræque telluri  
simillima, uti quidē *Scheuners*, *Galilæi*, *Hevelii* & alii ostē-  
derunt & detexerunt; Hinc etiam probabile est, quemque  
Planetam suam habere atmosphæram, in quam exhalatio-  
nes & vapores educantur, & rursus ad Planetam, ceu pro-  
prium gravitatis suæ centrum delabantur, sicque non per-  
veniant ad superficiem nostræ telluris, multo minus ad in-  
teriora & abdita terræ, ibique metalla producant. Ne di-  
cam maximū errorem esse, Solem inter Planetas retulisse,  
cum